



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

In facie animæ similitudinem conspici. Colloq. LV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)



*In facie animæ similitudinem conspicui.*

COLLOQVIUM LV.

**THEO.**  
*Quomodo homo  
Dei similitudinē  
perdat.*

**D**IXIMVS paulò ante hominem ad imaginem & similitudinem Dei fuisse procreatum: demonstrauius etiam quomodo Imago ista quæ perpetuò in animæ essentia permanet, & in tribus illis facultatibus perennat, esse suū semper retineat, quippè cū facultates istæ dona naturalia sint, & nonnisi cum ipsa natura tollantur ac euanescent, quo quidem in loco illud etiam me dixisse memini, similitudinem Dei (quæ in donis, gratijs, virtutibus, ac sanctis actionibus gratuitis, per vsum liberi arbitrij consistit) expungi ac doleri posse, cū videlicet homo improba viuendi viam præ se rapit, vitia amplectatur, & in turpissimo suarum libidinum cœno volutatur, non iam imaginem ac similitudinem Dei, sed Diaboli induit atque assumit: adeo nimirum vt qui vnus capax est, alterius quoque sit, ratione puta lux liber-

*Deus  
vult vt  
nō modò  
illius i-  
maginē  
sed simi-  
litudinē  
etiā ha-  
beamus.*



libertatis, cum is Creatoris nostri  
 sensus sit, vt quemadmodum nun-  
 quam non illius imaginem porta-  
 mus, ita quoque continuò similitu-  
 dinem eiusdem circumferamus, &  
 idcirco creati simus, nihil tamen li-  
 bertate ea impediēte, quam nacti  
 sumus, vt vel contrarium exequi ac  
 designare queamus. Quoniam ergo  
 haecenus demonstrauius imaginē  
 Dei animae insculptam, in facie ve-  
 rò depictam esse, ostendamus nunc  
 quomodo in eadem similitudo illa  
 non rudibus lineamentis, sed elegā-  
 ti colorum flore exornata eluces-  
 cat. Et faciemus planē id, demon-  
 strādo videlicet, quomodo singula-  
 ri quadam ratione habitus & affe-  
 ctiones animae interiores perspicuē  
 ex ea cognoscantur: quod quam à  
 veritate non abhorreat, experientia  
 docet, in omni memoria receptum  
 ac factitatum illud fuisse, vt ex facie  
 ipsa hominis indoles colligeretur,  
 & animae vt ita dicam, complexio  
 non obscure perspiceretur. Ioseph  
 certē ex illustri illo duodecim Pa-  
 triarcharum cātu, Dauid, Hester,  
 Iudith,

*Arist.*  
*prob. sec.*  
*21. q. 1.*  
*Cic. 3. de*  
*Orat.*

*Multi*  
*sancti à*



*pulchritudine  
laudati.*

Iudith, Susanna & sexcenta Sanctorum aliorum celebrata nomina, singulariter semper à pulchritudine & eleganti corporis constitutione celebrati sunt: quo videlicet S. Scriptura manifestè nobis ostenderet, lineamenta spiritus interiora, ex colorum lumine corporis exteriori colligenda esse & coniicienda: tum vt intelligeremus symmetriam illam ac correspondentiam multò quam iucundissimam inter Sanctorum istorum animas & facies, interiorè venustatem, & externam corporis concinnitatem. Quid ergo nunc de Seruatore nostro dicam, quem euidèntissima diuinitatis suæ signa ac testimonia in faciei lineamentis circumtulisse, certum admodum ac contestatum est? Vnde Regius Propheta ait: *Speciosus forma præ filiis hominum, gratia diffusa in labijs tuis.*

*B. Virgo  
pulcherrima.*

Iam gratiosam Virginem Mariam radios quosdam diuinarum suarum virtutum ex facie vultuque speciosissimo effudisse, testatur Sancti Lucæ effigies Venetijs asseruata, & innumerabiles aliæ secundum hoc pro-



protopypon efformatae, ac passim per Christiani nominis orbem sparsa atque coniecta. In quibus omnino cernere licet quam accuratè Euphaniaj & Nicephori descriptioni pulcherrima corporis constitutio respondeat, ac nihil ab ea planè aberret: qui omnino ita eam descriperunt, ut in fronte, supercilijs, oculis, genis, ore, & in vniuersis denique virginalis illius corporis partibus, pulcherrimam picturam modestiae, lineamenta humilitatis, colores grauitatis, prudentiae, temperantiae & rarissimarum aliarum diuinarumque qualitatum in hanc venustissimam animam collatarum agnoscas. Atque si imago illa ab arte tantum profecta ita clarè & liquidò thesauros interiores nobis aperit atque ostendit, quam tu euidenter eos in Reginae caelestis istius facie eluxisse & emicuisse arbitraris? quàm perspicuè, quam ad viuum ab ea tu illos representatos fuisse existimas? Quid ego iam nunc dicam, quomodo Deus vnam nobilissimarum istarum partium mutas aut transfigurans, necessario quasi alte-

*Sigon. in  
Hist. Ita.  
Theod. de  
Apold. in  
vita S.  
Domin.  
Canis. in  
Mar. l. 5.  
c. 22.  
Nic. 2.  
Eccl. his.  
c. 23. ex  
Epiph.  
Epist.  
Const.*

*Anima  
mutata  
vultum  
quoque  
immutat.*



alteram quoque voluerit variatam?  
*Exod. 34.* 29. Moyſes cum quadraginta ipſos dies  
 in Monte Syna perſtitiffet facie ſo-  
*2. Cor. 3.* 13. lis inſtar flammicante, reuerſus fuit,  
 adeò vt iam ab Hebræis amplius cõ-  
 ſpici aut videri non poſſet. Oſten-  
 debat videlicet noua illa faciei qua-  
 litas, & coeleſtis ille radiorum ſplē-  
 dor, gratiam quam ex colloquio cū  
 Deo habito Propheta acceperat: cū-  
 que iam anima noua & peculiari  
 ſcientia ac fortitudine eſſet perfuſa,  
 vultus etiam index & interpres illi  
 auſtiſſima proportione ei aſſimilari  
 debebat, quo externa illa luce &  
 claritate interius cognitionis ſciē-  
 tiæque lumen designaretur, & radij  
 inſtar cornuum promicantes, diui-  
 nam virtutem recenter ſibi collatā  
 teſtificarentur: nam & iſtud ſcrip-  
 turæ ſacræ per quam familiare eſt,  
 vt per lumen ſcientiam intelligat,  
 per cornua fortitudinem ac virtu-  
 tem. Iam quemadmodum facies vir-  
 tutum, certiffimus index eſt, ita vi-  
 tiorum quoque, quæ hominem Dia-  
 bolo ſimilem efficiunt, euidentiffi-  
 mum ſignum eſſe perhibetur. Pleni  
 ſunt

*In ſcrip-  
 tura ſa-  
 cra per  
 lumē ſci-  
 entiam,  
 per cor-  
 nua vir-  
 tutem ac  
 fortitu-  
 dinē in-  
 telligi-  
 mus.*

*Vitia ho-  
 minem  
 Diabolo  
 aſſimi-  
 lant.*



sunt omnes libri, plena exemplorū recentium monumenta, plena omnis antiquitas, ex quibus præclare intelligere possis, vitam ac mores hominum profligatorum ac perditissimorum nunquam nõ quam evidentissimè ipsa oris ac faciei confirmatione fuisse adumbrata. Mario certè adeò toruos & terribiles oculos aspectūque fuisse affirmant, ut solo eorum coniectu hominem aliquando ad vim sibi inferendā missum abs se absterruerit, si eam è manibus excusserit, & animo, quem ad id flagitium eum esse oportebat, cōsternarit: at erat ille crudelis etiam, immanis & barbarus, ita ut non alteri, quam ipsi faciei illa crudelitas conuenire potuisse videatur. Caligula, fæda & deformis corporis cōstitutio, apertè spurcitiem turpitudinemque libidinum demonstrabat. De Cadualdo Anglorum Rege memoriam accepimus, quod adeò graphicè & peritè barbarā illius truculentiam natura in vultu sategerit imitari, ut ipsi subditi eius effigiem in bellis, in conflictibus, hostibus

Q

obij-

*Plut. in  
Mario.*

*Suet. in  
Calig.*

*Polyd.  
Virg. l. 4.*



*Iliad. 2.**Iuven. 2.**Sat. 8.*

objicere, & velut terriculū inimicis  
soliti fuerint demonstrare. Homer'  
ita venustè & accuratè Thersea  
turpitudinē nobis depingit, vt et si  
ne verbum quidem de suis moribus  
faceret, intelligi tamē præclare po-  
tuerit, foedissimè eū planè spurcissi-  
mæq; animæ esse oportere. Porro  
Vet. illi tantū fidei externæ isti cor-  
poris conformationi tribuebāt, pu-  
blicū vt etiam ludum aperirent, in  
quo qui professione fugebantur,

*Arist.**Physic.**item l. de**hist. ani.**c. 8. Ale.**ab Alex.**l. 2. c. 19.*

Physiognomi appellabantur. Ari-  
stoteles qui præ cæteris sui ordinis  
singulariter à Deo collustratus plus  
omnibus in naturæ secretis mihi vi-  
disse videtur, tractatū conscripsit  
quo qualitates hominū occultas per  
membrorū inspectionem, præcipue  
tamē faciei colligere intelligere  
possimus: & sexcenti omnino alij  
Græci, quā Latini curiosissimè sub-  
iectū istud descripserūt, & cuiuslibet  
animæ qualitati locū suum in facie  
assignauerūt. Libet ergo hoc loco  
nicum Plin. adducere, quo ijs satis-  
faciamus, qui primoribus tantū labijs  
hanc Physiognomiā gustare gestit  
ac de



ac delibare: ait ergo ille in quodam *Lib. II.*  
 Historiæ suæ loco. Frons & alijs: sed *c. 37.*  
 homini tantū tristitiæ, hilaritatis,  
 clementiæ, seueritatis index. In as-  
 censu eius supercilia homini, & pa-  
 riter & alternè mobilia, & in ijs  
 pars animi. Negamus, annuim<sup>o</sup>. Hæc  
 maximè indicant fastū. Superbia ali-  
 cui conceptaculum, sed hic sedē ha- *Superci-*  
 bet. In corde nascitur, huc subit, hic *lia super-*  
 pendet. Nihil altius simul abrupti- *bia sedes.*  
 usq; inuenit in corpore, vbi solita-  
 ria esset: & in alio loco super eadem  
 re verba faciens Trogi sententias *LII. c. 52.*  
 allegat, quibus id astruere conatur,  
 ac confirmare: Etsi tu & Zopyrum  
 illum nouisse debes, quem artis hu- *Cic. I. de*  
 ius professionem factitauisse Cice- *Fato.*  
 ro author est.

*Nihil certi de anima statuendum ex  
 faciei coniecturis.*

COLLOQUIVM LVI.

**V**ALDE ego te hoc loco cir- **THEO.**  
 cum spectū esse optarim, nec  
 nisi cum salis aliquo grano  
 ea accipere, quæ à me prolata sunt,  
 ne quis fortè eum in errorem pro-  
 Q 2 lab-